

mur. Paulus, 1. ad Cor. 2. 6. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam vero non hujus seculi, neque principum hujus seculi, qui destruantur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio.* Quibus verbis non tantum Dei consilium sed et scientia Dei infallibilis commendatur.

*Conf.* Sicut fides divina requirit assensum firmissimum, sic et auctoritatem summam pro objecto formali exigit: sed hæc formaliter non est summa, si non formaliter constituatur in *infallibilitate cognoscendi veritatem*, seu summa sapientia; cum alias formaliter non impediret formidinem, ne loquens fallatur; ergo.

144. R. II. Idem etiam præstat veracitas.

*Prob.* Scriptura sæpe revocat fidem nostram ad Dei veracitatem, ut patet ex Joan. 8. 26. *Qui me misit, verax est: et ego, quæ audiivi ab eo, hæc loquar in mundo.* Et ad Rom. 3. 3. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? absit. Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax.* Ergo.

*Conf.* Auctoritas Dei in loquendo formaliter non est summa, ac consequenter assensus fidei non est formaliter firmissimus, nisi illa formaliter impediatur formidinem ne loquens fallat aut falsum dicat.

Igitur nec sola sapientia nec veracitas sola sufficit; sed utraque requiritur ad auctoritatem Dei in loquendo constituendam: quia sapientiæ formaliter talis munus unicum est excludere ab intellectu errorem ac ignorantiam; et veracitatis similiter sumptæ officium unicum est excludere mendacium seu locutionem contra mentem: auctoritas autem in loquendo, ut sibi fidem et assensum conciliet, loquenti tribuere debet, tum quod loquens non fallatur, sed judicet de rebus prout revera ipsis convenit, tum quod loquens non velit fallere, sed loquatur prout animo sentit.

QUÆRES II. *An Auctoritas Dei, in sapientia et veracitate consistens, sufficiat pro quacumque locutione divina et fide theologica?*

145. R. I. Auctoritas Dei in loquendo, per sapientiam et veracitatem constituta, *universim* sufficiens est motivum fidei theologice cujuscumque.

*Prob.* Ad objectum formale fidei sufficit duas habere condiciones; *primam*, qua fundet assensum verissimum per conformitatem actus judicii cum re judicata; *secundam*, qua fundet assensum certissimum per exclusionem omnis dubii ac formidinis de errore vel deceptione. Sed in assignata auctoritate divina utraque conditio reperitur: ex eo enim, quod Deus sit *summe sapiens* et *verax*, sequitur cum loqui non posse, nisi verum, et proinde fundare assensum *verissimum*; cum assensus conformis locutioni verissimæ necessario sit verissimus: cum vero evidens sit, Deum esse summe sapientem et veracem; rursus sequitur, si aliunde constet Deum esse locutum, dubitari non posse aut formidari, quin res ita se habeat prout Deus loquitur, adeoque fundari assensum *certissimum*.

R. II. Auctoritas divina, per sapientiam et veracitatem constituta, *speciatim* etiam sufficit tanquam motivum fidei theologice circa revelationes decretorias.

*Prob.* Vi revelationis v. g. promissoriæ hujus: *Cras dabo tibi gloriam*, Deus duo enuntiat; alterum de præsentem, nempe voluntatem absolutam

dandi mihi gloriam; alterum de futuro, crasinam scilicet collationem gloriæ: sed utrumque fide divina credere possum propter solam Dei loquentis sapientiam et veracitatem; nam sufficienter mihi proposita hac promissione ut facta a Deo possum hunc actum elicere: Firmissime judico o Deus! te habere voluntatem absolutam dandi mihi gloriam, eamque cras absolute mihi dandam; atque hoc ideo solum firmissime judico, quia Tu id dixisti, qui, cum sis infinite sapiens, ignorare non potes, utrum illa duo ita se habeant, nec ne; et cum sis infinite verax, non diceres illa sic se habere, nisi illa sic se habere certissime scires. Porro evidens est 1º. hunc actum fundari in sola Dei loquentis sapientia et veracitate, tanquam motivo credendi adæquato: evidens est 2º. per eundem actum credi omne ac totum, quod vi illius revelationis promissoriæ Deus loquitur: evidens est 3º. cum ab omni falsitatis ac deceptionis periculo esse remotissimum; ergo evidenter sequitur, ex auctoritate, quam in una sapientia et veracitate reponimus, haberi fidem divinam revelationis promissoriæ.

*Conf.* In locutionibus pure *assertoriis* fides nec habet nec habere potest aliud motivum, quam auctoritatem Dei ex unis sapientia et veracitate compositam; ergo nec fides in locutionibus *decretoriis*, quia locutio Dei promissoria non est nisi locutio assertoria duplicis objecti, nimirum unius *de præsentem*, quod est voluntas in Deo faciendi aliquam gratiam creaturæ, et alterius *de futuro*, quod est rei promissæ executio in tempore facienda; adeoque tantum ratione objecti materialis differt a pure assertoria, quatenus hæc non enuntiat decretum Dei.

## ARTICULUS II.

AN ET QUALIS LOCUTIO PRÆTER AUCTORITATEM DEI SIT OBJECTUM FORMALE FIDEI.

146. *Nota.* An locutio divina sit objectum formale parziale, et sic cum auctoritate constituat unam rationem formalem motivam adæquatam ac totalem, hic controvertitur. Quamvis revelatio ex D. Hier. in c. 1. v. 11. 12. ad Gal. sit quasi remotio veli, quo res occultabatur, locutio autem institui etiam queat de rebus alias patentibus; tamen utraque hic confunditur, et locutio Dei ad extra sumitur pro manifestatione rei, prout est in mente divina, ad creaturas specialiter directa. Communiter dividitur in *immediatam*, qua Deus per se ipsum loquitur, et in *mediatam*, qua loquitur per angelos aut alios ministros: immediata subdividitur in *intellectualem*, *imaginariam* et *sensitivam*; quarum *prima* est, qua Deus loquitur per signa spiritualia solo intellectu perceptibilia; *secunda*, qua loquitur per signa materialia phantasiæ propria; *tertia*, qua loquitur per signa materialia propria sensuum externorum. A quibusdam tamen præmittitur alia locutionis divisio in *activam* seu internam, in *passivam* seu externam, et in *completam* seu ex utraque hac complexam; secundum hanc *activa* consistit in actione Dei immanente, h. e. in volitione nobis manifestandi in tempore divinum conceptum per signum creatum ad audientes directum; *passiva* stat in hoc signo creato; *completa* autem quæ etiam rationalis ac propria locutio est, habetur per signum ejusmodi externum volitione saltem virtuali ad aliquid manifestan-

dum directum. *Scotistæ* sine respectu ad hanc divisionem locutioni duntaxat tribuunt rationem conditionis sine qua non : *alii* vero qui eandem tanquam objectum formale partiale admittunt, dissentiunt in designanda locutionis specie : *Cajetanus* enim, *Gonet* alique *Thomistæ* solum locutionem activam internam volunt pertinere ad motivum fidei ; *Hurtad.* et *Marin.* cum quibusdam assignant solam locutionem passivam : reliqui communius locutionem formalem ac rationalem seu ex activa et passiva conflata intelligunt. Cum his

147. *Dico I.* Locutio seu revelatio divina *constitutive* pertinet ad motivum fidei, et est ejusdem objectum formale partiale.

*Prob. I.* AUCTORITATE. Scriptura 1<sup>o</sup>. revocat fidem nostram non minus ad testimonium seu locutionem Dei, ac ad auctoritatem 1. Joan. 5. 6. *Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas*; et 1. ad Thess. 2. *Cum accepissetis verbum auditus fidei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei.* Huc pertinent etiam formulæ illæ: *Sicut dixit mihi Pater, sic loquor. Verbum Domini, quod factum est etc. Hæc dicit Dominus etc.* 2<sup>o</sup>. Extollit ipsum testimonium Dei supra testimonium hominum, ut videre est Joan. 1. 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*: nempe in movendo ad credendum, ita ut fides ipsi testimonio innitatur; unde additur: *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Idem explicarunt *Samaritani*, qui mulieri dixerunt Joan. 4. 42. *Quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus etc.* 3<sup>o</sup>. Inculcat ipsius firmitatem Matth. 24., Luc. 21. *Verba autem mea non transibunt*; et 2. Pet. 1. 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes.* Jam vero si testimonium ac locutio Dei foret mera applicatio auctoritatis divinæ seu conditio, sine qua non movet auctoritas, fides haberet suam firmitatem unice ab auctoritate, et moveret hæc sola, dummodo reipsa extaret revelatio.

*Conf.* Ex SS. Patribus, inter quos ATHANAS. Or. Quod unus sit Christus, n. 3. *Primo, inquit, credere oportet ac glorificare: secundo, ex celo harum rerum constitutionem petere, non autem ab imo illam ex carne et sanguine desumere, sed ex divina et caelesti revelatione.* S. AMBR. serm. 10. de Epiph. 2. n. 3. scribit, Patrem in voce descendisse in Filium, quod solum ad astruendam fidem hominibus necessarium erat. Similia habet S. AUG. Tr. 22. in Joan. et Tr. 23. ad illa verba: *Testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.*

*Prob. II.* RATIONE. De ratione fidei constitutiva universim est, quod sit assensus propter auctoritatem dicentis, ita ut *quod quia dicit*, sit ratio motiva et non tantum conditio; tum quia sicut scientiam demonstratio, ita fidem testimonium seu locutio distinguit ab aliis actibus: tum quia speciale prædicatum essenziale derivat in fidem; utpote quæ non est assensus quicumque, neque etiam assensus cuicumque veraci ac sapienti præstitus; sed talis, qui alteri non tantum ut veraci ac sapienti, sed ut loquenti seu testanti adhibetur.

148. *Obj.* Actus fidei non habet essentialiter hanc tendentiam: Credo hoc, quia Deus dixit; ergo. *Prob.* 1<sup>o</sup>. Deus revelabat Prophetis, et ipsi credebant

Deo, per judicium infusum de veritate objecti: sed hoc judicium non habebat illam tendentiam, quia non reflectebat supra se ipsum ut formale motivum; ergo. 2<sup>o</sup>. Si Deus revelat aliquid sub conditione, illud potest absolute credi conditione purificata: sed non potest absolute credi, eo quod Deus dixerit; cum Deus non dixerit absolute; ergo. *Conf.* 1. Licet interroganti, cur credam Incarnationem, recte respondeam: quia Deus illam revelavit; tamen ulterius interroganti, cur Deo Incarnationem revelanti firmissime credam, solum respondere possum: quia Deus, qui revelavit, est infinite verax et sapiens; ergo ratio formalis credendi ultima et sola est auctoritas Dei. *Conf.* 2. S. TH. 2. 2. q. 1. a. 1. in 0. de fide ait: *Si consideremus rationem formalem objecti, nihil est aliud, quam veritas prima*; ergo.

*Ad 1<sup>am</sup> prob.* R. N. M. Nam posito etiam, quod Deus Prophetis locutus sit per judicium infusum, quod scilicet objectum *formaliter*, mentem autem divinam de tali objecto *instrumentaliter* repræsentat; auditio tamen hujus locutionis consistebat in alia cognitione reflexa, qua perceperunt illud judicium infusum et mentem divinam de objecto per id manifestatam; ac proinde multo magis fides est assensus isti locutioni spirituali præstitus: unde falsum est eos per judicium infusum credidisse Deo.

*Ad 2<sup>am</sup> prob.* R. N. M. Sicut circumstantiæ extrinsecæ vocibus sæpe tribuunt significationem, quam ex se non habent; sic etiam constituunt et determinant sæpe signa et locutionem in esse talis vel locutionis simpliciter, præsertim si accedat intentio loquentis: atque hinc purificatio conditionis in hoc casu potest revelationem constituere absolutam, et a Deo assumi pro signo locutorio ac complemento revelationis absolutæ.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>.* R. D. A. sed N. *supp.* Quod postrema quæstio pertineat ad assensum et motivum fidei, sicut non pertineret, si quærerem: cur Deum judicet esse veracem ac sapientem. R. 2<sup>o</sup>. D. A. Ad 2<sup>am</sup>. quæstionem respondere solum possum: quia Deus, qui revelavit, est infinite verax et sapiens, ita tamen, ut, si sit responsio ad quæstionem de motivo actus fidei, *quod qui revelavit* habeat se per modum motivi inadæquati C. ut se habeat per modum meri prærequisiti aut conditionis N.

*Ad Conf. 2<sup>am</sup>.* R. D. A. Nihil est aliud, quam veritas prima nude sumpta N. ut revelans C. Hinc ibid. continuo subjungitur: *Non enim fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum.* Porro S. TH. stare pro parte nostra, liquet ex pluribus; nam q. 14. de Verit. a. 8. ad 6. *Ipsium testimonium, inquit, primæ veritatis se habet in fide, ut principium in scientiis demonstrativis.* Et p. 1. q. 1. a. 8. ad 2. *Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis et Prophetis facta.*

*Inst. 1.* Revelatio est indifferens ad verum vel falsum; aut saltem totam infallibilitatem habet a divina auctoritate; ergo vel nullam habet connexionem cum vero, aut fides divina suam infallibilitatem aut connexionem cum veritate accipit ab una auctoritate. *Conf.* a paritate 1. Propositio revelationis facta per *Ecclesiam* non est motivum fidei nostræ, sed mera applicatio motivi; ergo et revelatio est mera applicatio motivi, scilicet auctoritatis divinæ. 2. *Promulgatio* est mera conditio, et tota vis ad obligandum stat in lege; aut saltem promulgatio non est motivum obedientiæ; ergo etiam revelatio est mera conditio, et tota vis movendi ad assensum fidei habetur in auctoritate. 3. Quæstor regius solvit pecuniam, ostensis sibi lit-

teris regiis, quin hæc sint motivum sed applicatio duntaxat motivi, voluntatis scilicet regie; ergo similiter se habet fidelis respectu revelationis.

*Ad 1<sup>am</sup>. p. R. D. A.* Revelatio materialiter aut præcise secundum se sumpta est indifferens *C.* formaliter pro verbis Dei auctoritatem summam habentis, vel complexive cum divina auctoritate accepta *N. A.* et *1<sup>am</sup>. p. Cons.* Connexio debet consistere in objecto formali adæquato, illique non obest, quod resultet ex extremis secundum se indifferentibus, ut patet in objecto formali conclusionis, quod est complexum ex utraque præmissa, quarum quælibet seorsim ab alia potest esse indifferens ad illam conclusionem. Illa itaque signa materialiter sumpta sunt indifferentia v. g. ad existentiam Incarnationis: quin etiam divina auctoritas, quæ communiter in prædicato Dei necessario statuitur, est ex se indifferens ad quamcumque veritatem contingentem: at vero signa hæc prout sunt verba informata ab auctoritate divina non sunt indifferentia, sed metaphysice infallibilia, et sic etiam sunt motivum fidei.

*Ad 2<sup>am</sup>. p. Ant. D.* Revelatio ab auctoritate habet totam suam infallibilitatem præcise conformitatis cum objecto *T.* conformitatis cum objecto ut et quia revelato *N. A.* et *2<sup>am</sup>. p. Cons.* Fidei infallibilitas et certitudo non habet suam rationem præcise a conformitate cum objecto, cum assensus Beatorum, intuitive videntium auctoritatem vel sapientiam divinam, propter hoc motivum alicui objecto præstitus nec fides sit, nec habeat fidei infallibilitatem: sed debet esse infallibilitas conformitatis cum objecto *ut et quia* revelato, cum hæc sit essentialis tendentia fidei, ut supra dictum est. Jam vero hæc infallibilitas non desumitur a sola auctoritate divina, sed partialiter formaliter provenit a divina revelatione. Dixi: *Transeat*, quia si divina auctoritas consistat in prædicato Dei necessario, actus fidei suam infallibilitatem conformitatis præcise cum objecto desumit ab auctoritate divina ut applicata objecto, sicque revelationem includente.

*Ad Conf. Tr. A. N. Cons.* Quoad *1<sup>am</sup>.* *Disparitas* est, quia ex communi Theologorum sententia, Ecclesie locutio, licet a Spiritu sancto directa non est verbum Dei, nec motivum fidei intrinsecum, sed extrinsecum duntaxat spectans ad actum iudicii præambulatum, et applicatio verbi divini se habens (cum infallibilitate tamen) ad morem Bibliothecarii, qui ignoranti dicit hæc vel illa scripta esse hujus vel illius auctoris: cum vero fides sit assensus propter testimonium Dei, quæ est revelatio seu locutio, hæc non applicatio duntaxat auctoritatis divinæ, sed ipsa etiam intrinsecum fidei motivum est. Quoad *2<sup>am</sup>.* Recte distinguitur inter obligandum et obediendum; cum alia sit ratio obligandi, quæ est ipsa lex promulgata, alia ratio obediendi seu motivum et objectum formale obedientiæ, quæ est honestas relucens in conformitate operis cum lege; unde *Disparitas 1<sup>a</sup>.* est, quia, juxta probabilem, vis obligandi præcise a Legislatoris auctoritate et voluntate, ac consequenter a sola lege formaliter habetur: e contra vis movendi ad assensum fidei ac veritatis ut dictæ debet stare in auctoritate et revelatione seu dictione: *Disparitas 2<sup>a</sup>.* est, quia ad honestatem conformitatis operis cum lege promulgata, lex et ejus promulgatio habent se tantum præsuppositive, neque attinguntur ab actu obedientiæ intrinsece et ut quod, cum forsitan etiam obedienti displiceant; e contra per actum fidei attinguntur intrinsece tum auctoritas tum revelatio, neque postrema habet se duntaxat præsupposi-

tive, ut ex sæpe dictis liquet. Quoad *3<sup>am</sup>.* Alterutra ex modo datis disparitas tenet.

*Inst. 2.* Sola auctoritas sufficit pro hoc assensu: quidquid Deus revelat, verum est; ergo etiam sufficit pro assensu cujuslibet particularis contenti in illo universali; dummodo ipsius continentia certo nobis constet per revelationem tanquam veram conditionem. *Cons. prob.* Motivum sufficiens ad hunc assensum: omnis homo est redemptus, sufficit etiam pro hoc alio: Petrus est redemptus; dummodo per modum conditionis certo cognoscatur, Petrum esse hominem; ergo a pari. *Conf.* Plures sunt assensus fidei, qui nequeunt pro formali motivo partiali habere revelationem: 1. assensus, quo credo Deum esse veracem; quia stultum est, credere aliquem esse veracem, quia ipse dixit se esse veracem: 2. assensus, quo credo Deum existere; tum quia sic crederetur Deus existere, quia existit, cum Deum loqui involvat eum existere; atque sic idem per idem, aut idem prius et posterius cognoscerem: 3. assensus de ipsa revelationis existentia, quam per actum fidei affirmo vel suppono; quia ipsa nequit esse motivum judicandæ suæ existentie.

*R. 1<sup>o</sup>. Retorqueo.* Sola sapientia sufficit pro hoc assensu: quidquid Deus cognoscit verum esse, verum est; et sola omnipotentia sufficit pro hoc alio: quidquid Deus potest, est possibile; ergo.

*R. 2<sup>o</sup>. D. A. et Cons.* Sufficit pro hoc assensu, qui sit fidei *N.* pro assensu qualicumque, seu qui non sit fidei. *T.* Fidei, ut sæpe jam dictum, non est quicumque assensus certus fundatus in prædicato quodam divino, sed debet inniti divinæ auctoritati revelanti. Dixi: *Transeat*; potest enim ille assensus universalis sumi *conditionate*, ita ut sic sonet: si Deus aliquid revelet, verum est; et similiter particularis sic: si Deus revelat Incarnationem, vera est, etc. Potest autem etiam sumi *absolute* et cum revelatione jam existente, ita ut particulares etiam propositiones sint absolutæ, v. g. Incarnatio, quam Deus revelavit, est vera. Jam vero auctoritas quidem sufficere potest pro assensu in prima acceptione, minime vero in secunda et pro assensu absoluto. Ratio est, quia divina auctoritas connectitur cum quacumque veritate *conditionate*, si nempe veritas reveletur: juxta communem autem sententiam, quæ divinam auctoritatem in prædicato Dei necessario constituit, hæc auctoritas nec cum veritate contingente nec cum revelatione connectitur *absolute*. Unde patet etiam *Responsio ad prob.*; assensus enim ille postremus universalis est *absolutus*, immediateque continet sub se particularem, ac niti potest divinæ auctoritati revelanti; ideoque idem motivum sufficit ad utrumque, et quilibet potest esse assensus fidei, ut dictum est num. 64. 67. et seq.

*Ad Conf. R. Prob. 1<sup>am</sup>. D.* Stultum est credere aliquem esse veracem, quia ipse dicit se esse veracem, si veracitas ejus non supponatur aliunde nota *T.* si aliunde nota supponatur *subd.* si ex parte voluntatis datur motivum rationale imperandi talem assensum *N.* sin minus *C.* Quamvis nonnulli contendunt, per idem testimonium posse proponi Deum ut existentem, veracem et sapientem, ac simul loquentem; cum communiore tamen loquendo, assensus fidei præsupponit notitiam tum de existentia tum de auctoritate Dei aliunde, scilicet per lumen naturale vel per aliud quodcumque iudicium prævium, habitam. Hac notitia supposita, potest voluntas prudenter imperare